


ORATIO. III.
QUA SERENISSIMUM HUNC FILIUM
JOHANNI GEORGIO II.
SIMILLIMUM OPTAVIT.

GEORGIUS FRIDERICUS Lingke.

 Ptimè tuo jam satisfecisti officio, Commilito Svavissime: cum enim SERENISSIMUS ille ELECTOR dimidium fermè Seculum felici suo & pientissimo Regimine collustraverit, nihil ferè Patriæ aut felicius aut præstantius optari potest unquam, nisi ut, non dimidium imminentis saltem Seculi, sed multa abhinc secula e jusmodi Dominis ac Electoribus reddantur augustiora, multosq; adeò JOHANNES GEORGIO S charissima hæc Patria deveneretur. Interim, si hodiernum uostrum PATRIÆ PATREM, SERENISSIMUM AC POTENTISSIMUM JOHANNEM GEORGIUM II. consideremus, tuamq;, Commilito, in contemplando symbolo sedulitatem sectari constitamus: eodem certè sensu FILIUS dicit: SURSUM DEORSUM, quo PARENTS invocavit CHRISTUM VITÆ SUÆ SCOPUM. Ut, qvoniam mirifica sangvinis æqualitas exinde cognoscitur, nostra etiam pietas concordem, ac planè similem, vovendi materiam deprehendat.

Equidem Hispanicus ille Politicus Savedra sagittam pingit, in aëre mobilem, adita Hierographia: AUT SURSUM AUT DEORSUM: Sine omni dubio elegantissimâ hâc picturâ significaturus, aut elevari in melius, aut inclinari in deterius regnorum fortunam, nec facilius eundem conservaristatum posse, qvam Sagittas in aërem emissas cohibere licet à casu, quo momento ad ulteriores altitudinis gradus ascen-